



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Frænum. Rex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

DE FLAGELLO.

AUGUSTUS MENSIS. CAP. XVI.

Juniorum inventum est, per flagella duo frumentaria in transversum alterius alterum posita, Augustum mensem indicare, quod eo potissimum tempore tritura peragatur, inter messem scilicet & vindemiam, nisi hoc fiat, agricolis vix quod agant, habentibus. Sedenim cum non eadem sit regionibus omnibus trituri ratio, hieroglyphicum hoc iis tantum inserviet, quibus id instrumenti usus est.

IMPERIUM. CAP. XVII.

Id receptius apud veteres est, ut per flagellum imperium significetur, quod saepe in Consulibus numis cufum observes. Quinetiam in conjecturali disciplina nihil ab hoc diversum notat, quod vel ipsius M. Tullii Ciceronis somnio satis innotuit, cum is C. Caesarem in Capitolium profectus, Augusto viso affirmavit ipsum esse, cuius imago sibi secundum quietem observata, caelestis aurea catena demissa, cui Jupiter flagellum obtulisset.

Plutarchus in Cic. vita, & Suet. in Augusto cap. 94.

TOLERANTIA. CAP. XVIII.

Est & tolerantia symbolum per se manifestum sacis flagellum ipsum, quo uno signo Laconum patientia verberibus tolerandis assueta, clara & illustris habebatur. De qua Tertullianus: *Certe Laconum flagella, sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbat, tantum honorem tolerantie domini conferunt, quantum sanguinis fuderint.*

DE FRÆNO.

REX. CAP. XIX.

Ab officio vero gubernandi regendique, habenæ quoque in Regis significatum veniunt. Hinc frænum nonnulli in fortunæ manu statuunt. Hinc plerisque locis eadem clavum tenet navigii gubernaculum. Sed habenas tenere, pro regere, passim apud autores usurpatum. Quia vero funem ex corio primum fuisse constat, ut naves apud Homerum *σπρηδοῖσι βότασι* ligantur, funes interdum habenas vocitari comperias. Et nostri Bellunenses, toto agro, validissimos funes ex crudo corio in ligulas longas secto in tricasque mox arte complicato conficiunt, quos etiam rusticorum vulgus funes appellat. *Quin & Virgil. vetustatis amor dixit, classique immitte habenas,* cum funes intelligeret velo regendo aptos, ut Cælius Urbanus antiquus Grammaticus interpretatur. Quamquam eruditissimi nostro tempore sint, qui eo loco habenas metaphoricè pro clavo positas arbitrentur.

Et laxare habenas pro sibi vivere dominandi & Μη ἀπειρογών. Im. p. r. i. u. s. non tullei habenas id est regimen. Aneid. l. 5. Hinc Philostratus in Antic. ἰμπεριελευθερία καὶ ἡνίκαι τῶν θυμῶν. frænum inicit, pro moderatus est iram. Camus & frænum. Psalm. 32.

TEMPERANTIA. CAP. XX.

Eadem porro ratione qua clavus in navj moderationem significat, frænum tum moderationem, tum quam Theologi nostri temperantiam appellant, significare dicunt: Nam quod temo navibus, in Equis frænum est. Jocatur in hanc sententiam Plautus, Rudente, navem pro Equo intelligens, ubi Sacerdos ad puellas ejectas ait: *Nempe Equo ligneo per undas caruleas estu vesta.* Camus & frænum idem sunt, quamvis camus ad inflectendam cervicem comparatur, frænum ad oris, ac perinde totius corporis regimen. Horum significatum est, malarum incitationum coercitio, ut exponunt Theologi eo loco, *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Dicitur autem καμῶσιν ab inflexione *περὶ τὸ κἀμῶσιν*, quod domare est. Hujusmodi enim fræni genere defultores utuntur ad pullorum cervices intactas edomandas, Nemeleos porro signum ab antiquis celebratum, in sine cubiti mensura manu prætenta, neque non fræno, in hunc scilicet modum:

Ἡ Νέμεσις ἀφελέγει τὸ πῆξι, τῶ τε χαλινῶ, Μῆτ' ἀμετρον τι ποιεῖν, μῆτ' ἀχάδιστα λέγειν.

De